

- quam iusto dolore super eas doluerim, quam perfecto odio non lapides sive parietes, sed iniustitiam, quę in illis habitat, ego oderim. Debuerat enim totum castelli huius spatium esse legale sanctum, quia sic in lege Domini scriptum est: *Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*¹⁾, et possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum²⁾). Quis autem nesciat castelli huius possessionem Deo et domino nostro Jesu Christo sanctęque genetrici eius perpetuę virgini Marię fuisse consecratam? ³⁾ Narrat enim liber vitę vel actuum patris nostri beati Heriberti⁴⁾, quia *cum cenobium construere optaret* in honore⁵⁾ Domini et iam dictę matris eius beatę Marię semper virginis, secundum votum cuius monitorem habuerat Ottonem⁶⁾ imperatorem, simulque scire cuperet, quo in loco fieri hoc placitum esset eidem sanctę Dei genetrici⁷⁾, apparens ipsa per visum dixit ei: „*Surge et*⁸⁾ *Tuiciense*⁹⁾ *castrum petens locum in eodem*¹⁾ *mundari præcipe ibique monasterium* Deo mihi²⁾ et omnibus sanctis constitue, ut ubi quondam habitavit peccatum et cultus demonum, ibi iustitia regnet et memoria sanctorum.“³⁾ *Erat autem tunc in eodem castro curtis pertinens ad servitium episcopi*⁴⁾).
- Porro de constructione castri diversa opinio est, aliis opinantibus fuisse opus Iulii Cesaris, aliis asserentibus quod tempore quo imperator
- Constantius et filius eius Constantinus expeditionem in Galliis habuerunt, constructum fuerit ab eodem Constantino devictis Francis. Hanc opinionem firmiorem esse asserit titulus non multos ante annos inventus in tabula lapidea inter fragmenta murorum, et ipsa in partes divisa, ita tamen ut partes ipsę ad invicem coniungi possent. Qui huiusmodi
- erat: Constantinus pius Romanorum imperator augustus devictis Francis castrum Ditisium in terris eorum fieri iussit. Milites turrim cum interturrio fecerunt. Hęc duodeviginti vota fecerunt¹⁾. Et quidem nota est historia²⁾, quod Constantinus Francos et Alemannos magnifice devicerit et reges eorum bestiis obiecerit³⁾. Sed quia Iulii Cesaris res geste in Galliis famosiores habentur, inde hec opinio magis vulgata est, licet nullis fulta scriptorum monumentis, quod ille huius quoque castri conditor extiterit.

¹⁾ consecratum *B* ²⁾ honorem *M* ³⁾ Othonem *AJ*, Otthonem *M* ⁴⁾ genetrici *AJ* ⁵⁾ folgt in *B* ⁶⁾ Tiutiense *J*; Divitense *Vita Heriberti* ⁷⁾ locum eundem *B* ⁸⁾ dei *B* ⁹⁾ ystoria *B*

¹⁾ *Levit. 27, 28* ²⁾ *ib. 21* ³⁾ *Ruperti Vita s. Heriberti c. 13, Migne, PL. 170, 404, fast wörtlich gleichlautend* ⁴⁾ *S. o. S. 399 f. mit Anm. 26* ⁵⁾ *Eutropius, Breviarium X, 3, MG. Auct. Ant. 2, 170 f.*